COSMO 3. MAGNO ETRURIÆ DUCI HAS THESES THEOLOGICAS EX QUATUOR…

Raffaele Cosimo Girolami,
Arnold : van Westerhout

COSMO III.

MAGNO ETRURIÆ DUCI

HAS

THESES THEOLOGICAS

EX QUATUOR SENTENTIARUM LIBRIS,
Et totidem primorum Ecclesiæ sæculorum historia selectas

DICAT

RAPHAEL COSMUS DE HIERONYMIS
CANONICUS FLORENTINUS.

F ORENTIÆ, M.DC XCV.

S M D apud Joannem Philippum Cecchi.
Superiorum Licentia.

SERENISSIME

MAGNE DUX.

C*OElum, à quo infima hæc & mortalia reguntur, terrarumque gubernatores ac domini hoc sibi tanquam proprium, & peculiare vindicare videntur, ut nihil ab aliis recipere possint, quod ab eisdem, uti à fonte perenni, non profluxerit, & ab illorum benignitate acceptum, non sit ipsis jure merito referendum. Nullum autem neque præstantius, neque amabilius bonum est, quod à Principe viro recipere possimus, quàm tutela bonarum Artium, à qua in humanum genus tantum præsidii, & commodi derivatur, & quam Tu,*

Princeps optime, summa sollicitudine, & commendabili cura suscepisti. Tu pessimis hisce temporibus, quibus undique sævus Mars obstrepit, & ab Europæ littoribus classico insonante profugæ exulant litteræ, eas intra tutissimos Imperii tui fines, & felicia arva incolumes hucusque servasti, neque hanc operosam scientiarum quietem, decoramque securitatem, quæ victoriarum ac triumphorum fructus est beatissimus, Tu Princeps optime, armis belloque, earum scilicet jactura, ac detrimento es adeptus, sed quod res Sacræ facium totius Orbis, eximia Virtutis tuæ specie perculsi, obsequio, ac amore comparasti: nec securitatem solummodo litteris præstitisti, verum etiam in ea dignitate illas conservare contendis, ad quam olim jacentes ac miseræ, à clarissimis majoribus tuis Regia & admirabili liberalitate fuerunt evectæ. Cum autem scientias omnes excelsa benignitate complectaris, tum maximè illam, quæ cum pietate ac Religione, quam eximiè colis est conjuncta, peculiari quadam & insigni, ut divinum animum tuum decet, favore prosequeris. Cujus rei amplissimum mihi testimonium præbuit Theologica illa Academia, quam effusa tua indulgentia conditam patrocinii tui fastigio dignatus es. Quantum vero (ut de me loquar) animo meo per se jacenti, ac infirmo alacritatis ac roboris addidere Voces illæ, quibus me ad prosecutionem divinæ illius scientiæ tàm amanter adhortatus es! Nonne igitur æquum est, me tibi celsoque nomini tuo dicare has ingenioli mei primitias, quin verius dixerim, munerum tuorum fructus: nec quales sint nunc cogito, sed quod à te profluxerint, tibique debeantur. Tu interim illas benevolo, uti soles, animo excipias, Deumq; ipsum, ad cujus imaginem, quantum humana fert conditio, tam proximè accedis æmuleris, qui non tam splendida dona, & opulenta, quam ad offerentis animum spectat XIII. Kal. Julias CIↃ IↃC. XCV.

Serenis. Celsitudinis Tuæ

Humillimus, & Obsequentiss. Servus, ac Subditus
Raphael Cosmus de Hieronymus.

QUÆSTIO THEOLOGICA.

QUIS EST MAGNUS DOMINUS?
Psal 47.

DEUS optimus, maximus, cujus existentiam Fides docet, & ratio demonstrat. Divinæ Naturæ gradum constitutivum, in existentia à se reponendum puto. Qui Dei unitatem destruit Atheismum inducit. Deus etsi simplicissimus, omnes omnium Creaturarum continet perfectiones, simpliciter simplices formaliter, cæteras eminenter. Possibilem esse intuitivam Dei visionem ex Scripturis evincitur; ad illam non assurgit intellectus creatus, nisi lumine Gloriæ illustretur, quod tantæ dignitatis est, ut nulli creatæ substantiæ connaturale fieri queat, sed non est tantæ necessitatis, quin per uberiorem Dei concursum suppleri possit. Visionis beatificæ inæqualitatem Scriptura docet, illam facit luminis inæqualitas, & major, vel minor intellectus creati perfectio. Deum in hac vita nemo vidit unquam istud privilegium, nec Judæorum Legislatori, nec Gentium Apostolo datum. Sacrosanctum Trinitatis mysterium Philosophis ignotum, Fidelibus feliciter est revelatum. Sabelliani hujusce Mysterii hostes infensissimi

 Per-

Personas inter se confundunt; Ariani verbi, Macedoniani Spiritus Sancti Divinitatem impugnant. Catholici unum Deum in Trinitate, & Trinitatem in Unitate venerantur. Duæ sunt in Divinis processiones. Sola Verbi processio vera generatio est. Quatuor sunt in Deo relationes originis, & quinque notiones Pater à nullo est, à Patre verè gignitur Filius, à Patre, & Filio procedit Spiritus Sanctus.

PRIMUS Homo in statu naturæ innocentis, seu Gratiæ originalis conditus est, at in statu naturæ puræ creari potuit, & ignorantiæ, concupiscentiæ, ac cæteris quibus nunc humana premitur natura miseriis absque culpa subjacere. Peccatum originale per generationem ab Adamo, cæterisq, deinceps parentibus in posteros traducitur. hujus proinde peccati non pœnæ modo, sed & culpæ obnoxius nascitur, qui ordinaria Generationis lege, vel ex justis Parentibus concipitur. Ab hac lege excipitur Virgo Deipara, de qua, cùm de peccatis agitur, nullam habere volumus quæstionem. Peccati originalis natura non est stabilienda in substantia quadam à Dæmone profecta, non in aliqua morbida qualitate, non in ipso fomite, non in actuali Adæ prævaricatione, sed in carentia Justitiæ originalis, quam à Deo posteris communicandam acceperat. Parvuli, qui sacris undis inexpiati decedunt veram incurrent damnationem, licet pœnam ignis non sint subituri. Peccatum actuale optime à S. Augustino definitur dictum, factum, aut concupitum contra legem. Mortalia esse peccata omnia mortiferum dogma, aliud enim est lethale peccatum, aliud veniale. Mortale amicitiam, quæ est Deum inter, & homines dirimit, non dirimit veniale, Illud avertit à fine ultimo, hoc paululum retrahit: illud peccatorem æternę pœnę addicit, hoc dignum pœna dumtaxat transitoria, etiam in Inferis aliquando finem habitura.

Ad

AD eluendum originale, & actuale peccatum venit Christus, qui superabundantem, & debitum exuberantem Deo obtulit satisfactionem. Humana Christi natura ante unionem non extitit, nec post unionem conversa est, aut à Divinitate absorpta, sed ambæ permanserunt integræ absque confusione substantiæ in unitate Personæ. Ut duæ in Christo naturæ, sic & duæ in illo sunt voluntates, divina altera, altera humana, quarum nulla contrarietas, duæ etiam naturales operationes. In intellectu Christi nulla unquam fuit ignorantia, apprime novit Judicii diem, sed illum non censuit revelandum; in appetitu sentiente nulla libido, nulla concupiscentia. Pars inferior subordinata semper cessit rationi. Nec spes, nec Fides fuerunt in Christo, qui à primo instanti Deum per essentiam vidit. Nulla in eo peccati labes, immo nec peccandi potestas. Multa operatus est Christus, quibus sibi honorem, & gloriam saltem accidentalem, nobis vero Fidem meruit, & gratiam. Hæc est donum supernaturale, ac divinum Creaturæ intellectuali gratuito datum intuitu Passionis, & meritorum Christi; tantæ necessitatis est, ut sine illa nullum opus ad salutem pertinens elici queat. Nihilominus potest Homo solis naturæ viribus veritates naturalis ordinis cognoscere, Legis naturalis præcepta observare, Deum ut auctorem naturæ diligere, aliquod bonum opus morale exercere, & nonnullas etiam tentationes superare.

GRATIAM ex opere operato producunt, & eam dignè suscipientibus conferunt septem legis novæ Sacramenta à Christo Domino ad salutem hominis viatoris instituta. Tribus perficiuntur rebus, verbis, & intentione Ministri. Verba Sacramentorum consecratoria sunt, non concionatoria. In Ministro laudanda Fides, optanda probitas, neutra necessaria est ad rationem Sacramenti.

Sacramentorum omniũ primum Baptiſmus à Chriſto ante Paſſionem inſtitutus, à Joannis Baptiſmate, & natura, & virtute longè diverſus. Ejus materia remota aqua naturalis, proxima corporis ablutio, quæ ſive aſperſione fiat, ſive infuſione, ſive immerſione, una, aut triplici perinde eſt. Forma verbis continetur trium Sãctiſſimæ Trinitatis Perſonarum nomina diſtinctè exprimentibus. Suſcipiendo Baptiſmati idonea quælibet ætas. Invitis Parentibus licitè baptizantur Infidelium filii, quos vel juſta ſervitus premit, vel politicum dumtaxat regit Imperium. Confirmationis materia unctio, forma oratio, Miniſter ex officio Epiſcopus, ex diſpenſatione Summi Pontificis ſimplex Sacerdos. Sacramentum Euchariſtiæ à Chriſto Luna decimaquarta primi menſis ad veſperam poſteriorem inſtitutum Chriſti corpus, & ſanguinem re ipſa continet. Pœnitentiæ materia ſunt pœnitentis actus, contritio, confeſſio, & ſatisfactio. Contritio alia perfecta, alia imperfecta, illa cum ſolo Sacramenti voto peccatori vitam tribuit, hæc adjunctam requirit Sacramenti operam, ut pœnitenti gratiam conferat. Confeſſio pœnitentiæ pars altera jure divino inſtituta, nulli fuit ſeculo ignota, in nullo abrogata. Ordo caracterem animæ imprimit indelebilem. Extrema unctio oleo, & precibus perficitur; hujus ſubjectum Sacramenti homo periculosè ægrotans. Ad dignitatem Sacramenti Chriſtus evexit Matrimoniũ in officium naturæ primùm inſtitutum à Deo, *qui eſt magnus Dominus*.

QUÆ-

QUÆSTIO THEOLOGICA.

QUIS EST DESIDERATUS CUNCTIS GENTIBUS?
Aggæi c. 2.

CHRISTUS JESUS à Patriarchis præfiguratus, à Prophetis prædictus, & ab Ethnicis per vera, minimèque à Christianis conficta Sibyllarum oracula prænunciatus, exactis dumtaxat à Mundo condito quatuor annorum millibus in spelunca Urbis Bethleem anno Juliano 40 ex MARIA Virgine natus. Salvatoris ortum, novum subindè Sydus oriens indicavit, & ad infantis cunas adscivit Principes. Nondum se purgarat purissima Mater, cùm illi ad Præsepe accesserunt. Christus ab Herode quæsitus ad necem fugit in Ægyptum, & factus annorum duodecim in Templo cum legis Doctoribus disputavit. Anno ætatis suæ trigesimo primo inchoato à Sancto Joanne baptizatus est. Exindè cæpit Doctoris publici munus exequi demandatum. Quarto post Baptismum Paschate celebrato, Cruci affixus, anno vulgaris æræ vigesimo nono, duobus geminis Consulibus mortuus est. Triduo post, propria virtute resurrexit, ac post dies quadraginta in Cœlum ascendit.

POST Christi in Cœlū ascensum, conjecta sorte, Sanctus Matthias in Judæ locum electus est. Accepto Spiritu Sancto, & crescente Discipulorum numero, non ad communis tantummodò, sed in primis ad Sacræ Mensæ ministerium propria ordinatione septem Diaconi consecrati sunt. Anno a Christi Passione sexto Sanctus Petrus Antiochenam fundavit Ecclesiam, quam rexit annos septem, & in ea successorem habuit Evodium: anno à Christi morte duodecimo ab Herode in vincula conjectus fuit: ab Angelo liberatus anno Claudii primo Romam venit. Post annos octo ejusdem Imperatoris edicto cum ceteris Judæis Roma pulsus Jerosolymam rediit, ibique præfuit Apostolorum Concilio, in quo excussum durum Legis Mosaicæ jugum, & præcepta dumtaxat ad tempus à sanguine, & suffocatis abstinentia. Aliquantò post Sanctus Petrus ob legalia Antiochiæ sincerè observata, à Sancto Paulo verè reprehensus est. Idem, mortuo Claudio, Romam reversus, duodecimo Neronis anno Cruci suffixus, Romanam, cui per vigintiquinque annos præfuerat Ecclesiam sanguine suo consecravit.

SANCTUS Paulus anno Imperii Neronis tertio Romam perductus est, ibique biennio in vinculis exacto liberè abire permissus, susceptum in Hispanias proficiscendi consilium executioni mandavit. Illum igitur suum sibi meritò vindicat auctorem Hispaniensis Ecclesia. Romam reversus & ipse Urbem illam unà cum Sancto Petro, cujus laborum socius, non particeps dignitatis fuerat, glorioso martyrio decoravit. Galliæ primo Ecclesiæ seculo Fidei lumine illustratæ sunt Virorum Apostolicorum prædicationibus, qui variis in iis partibus fundarunt Ecclesias: Crescens Viennensem, Throphimus Arelatensem, Paulus Tholosanam, Lemovicensem Martialis, Parisiensem Dionysius Areo-

pagita

pagita. Sanctos Apostolos Paulum, aut Philippum in Anglia Evangelium prædicasse, nulla testantur antiqua monumenta. Secundo sæculo sub Eleutherio Summo Pontifice, & Lucio Rege Britannis primùm Christi Fides illuxit.

SUPPOSITITIÆ sunt Epistolæ Christi ad Abgarum, & Abgari ad Christum. De Christi miraculis, & resurrectione ad Tiberium Imperatorem scripsit Pilatus: De Christo in Deorum numerum adscribendo, Tiberius retulit ad Senatum. Sincerum est Josephi de Christo testimonium. Fidei Symbolum, quod Apostolorum nomine insignitur ab illis verè editum est, & fidelium memoriæ commendatum. Reliqua scripta illis tributa, demptis iis, quæ in Sacrarum Scripturarum Canonem Ecclesia retulit, eorumdem non sunt genuini fœtus. Apocryphæ sunt Sancti Pauli ad Senecam, & Senecæ ad Sanctum Paulum Epistolæ. Canones Apostolorum, vulgò dicti, tribus primis Ecclesiæ sæculis ignoti, nec ab Apostolis sunt conditi, nec à Sancto Clemente conscripti. Fictitia est Apostolorum Antiochena Synodus, fictitii proinde novem Canones eidem adscripti. Clementis nomen sibi falsò arrogant octo Constitutionum Libri; genuinæ ejusdem ad Corinthios Epistolæ. Cætera, quæ ipsi vulgò tribuuntur supposititia. Omnes ferè Summorum Pontificum usque ad Siricium Decretales Epistolæ ab Isidoro Mercatore confictæ.

JUDÆI frustrà expectant Messiam, quem jam advenisse, adversus illos invictissimè probant antiqua Prophetarum oracula, & illustre in primis, quod habetur Geneseos 49. Jacobi morientis vaticinium: *Non auferetur Sceptrum de Juda, &c.* in Christo feliciter adimpletum. Christiana religione vix instituta, in illa statum Hæretico-

rum

rum agmina surrexere, & varia Hæreseon monstra prodiere Hæreticorum agmen ducit Simon Magus, à quo Simoniacæ hæreseos origo. Is magicis præstigiis quamplurimis illuserat, sed aliquando volatum pollicitus, & in sublime elatus, Sancti Petri oratione prostratus extinctus est. Simoni tanquam Deo positam fuisse in Urbe Romæ statuam non crediderim. Christum Dominum purum hominem, Josepho Patre, procreatum dixit Cerinthus; Illam blasphemiam scripto Evangelio statim profligavit S. Joannes. Impurissimæ Nicolaitarum sectæ auctor non fuit Nicolaus.

URBE Româ anno vulgaris æræ 64. jussu Neronis incensâ, indigni facinoris abolendo rumori reos ille subdidit Christianos. Hæc prima eorumdem persecutio fuit. Secundam excitavit Domitius, Trajanus tertiam. Hujus Imperatoris de Christianis non inquirendis, sed si deferrentur puniendis rescriptum iniquissimum est. Animæ Trajani ab Inferis Sancti Gregorii precibus liberatio, figmentum. Tyrannis adnumerandus Trajani successor Adrianus. Impia Marci Aurelii pietate in Deos, adversus veri Dei cultores Christianos mota est quarta persecutio, quæ ejusdem Imperatoris edictis, nec semel compressa, nefandis Gnosticorum criminibus, Catholicis perperam affictis, sævius grassata est usq; ad Marci obitum, & Imperium Commodi, à quo tandem persecutioni finis impositus, & Christianis reddita pax, qua ab Anno Christi 180. usque ad annum 202 potita est Ecclesia.

SANCTI Petri successores, & Primatus hæredes primo sæculo fuerunt Linus, Cletus, Clemens, quem sæculo secundo excepit Evaristus. Hic in Urbe Roma Titulorum divisionem constituit. Indè Parochiarum, & Cardinalium prima origo repetenda. Alexandrum Evaristi

suc-

successorem sanxisse legimus, ut vinum aqua mixtum in Sacrificio offerretur, Hæc Constitutio Christi Domini exemplo nititur, non mandato. Quadragesimale Jejunium ab Apostolis institutum, & priscæ Ecclesiæ traditione confirmatum, novo Decreto roboravit Thelesphorus. Sacri Jejunii pars semper fuit carnium abstinentia. Anicetum inter, & Polycarpum de Paschatis celebratione leve dissidium fuit, quod sub Victore magnum habuit incrementum Victori non assensere Asiatici Præsules, consuetudinis suæ tenaciores, Victorem adversus illos excommunicationis tela parantem ab hoc deduxit consilio Irenæus.

SECUNDO sæculo varia Hæreseon monstra prodiere. Duos Deos post Cerdonē Marcion induxit, longè plures finxit Valentinus. Ille Christum verum corpus assumpsisse negavit; iste Christum corpus è Cœlo detulisse effutiit. Christi Divinitatem eodem sæculo impugnarunt Theodorus, & Artemon. Horum omnium blasphemias execratur Ecclesia, quæ Christum Dominum Deum pariter, & hominem, Deique filium confitetur. Varios errores, novæ Prophetiæ nomine, Montanus evulgavit. Hujus mentis excessus, non vera extasis, sed animi furentis, & malè abrepti alienatio fuit. Plenissimam peccatorum omnium remittendorum potestatem à Christo Domino Ecclesiæ traditam, ad certa peccata restrictam perperam docuit Montanus, & secundas nuptias malè damnavit: Sed Sanctissimæ Trinitatis mysterium non impugnavit, nec Baptismi formam violavit. Sæviente persecutione, in Martyria temerè ruebant Marcionitæ, fugere, Religioni habebant Montanistæ, simulatâ Ethnicæ superstitionis professione saluti consulebant Helseceitæ Catholici persecutionem fuga declinare, & iniquam persecutionem soluta pecunia redimere

mere licitum putant ; at ubi nullus fugæ, vel innoxiæ redemptioni relinquitur locus, pro Aris fortiter occumbunt.

SEVERUS Augustus sub initia Imperii sui benè erga Christianos affectus, tertio ineunte sæculo, mutato consilio, gravissima persecutione Ecclesiam afflixit. Plautiano interfecto deferbuit quidem, sed ante Severi obitum penitùs extinctum non est hujusce persecutionis incendium. Christianis favit, & Christum quomodocumque coluit Alexander, sed Ethnicam non deseruit superstitionem. Sextam adversus Ecclesiam persequutionem excitavit Maximinus. Christianam Religionem amplexus, tutatusque est Philippus Imperator. Illam infestissimè insectatus est Philippi interfector Decius atrocissima persecutione indicta, qua sæviente fœdè lapsus est Origenes, Carthagine citrà culpam secessit Cyprianus, Martyr occubuit S. Fabianus. Valerianus, qui sub initia Imperii sui reddiderat Ecclesiæ pacem, auctore Macriano octavam persecutionem indixit, Nonam Aurelius, aliquando de Ecclesia benemeritus.

INEUNTE tertio sæculo Ecclesiam regebat Zephyrinus Summus Pontifex. Is, nec Idololatris, nec Homicidis pœnitentia functis pacem negavit, nec eam Adulteris dando à recepta Romanæ Ecclesiæ consuetudine deflexit. Quatuor anni tempestatum sacra jejunia, nec ab Apostolis instituta, nec à Callisto Zephyrini successore sunt confirmata : illa tamen in Ecclesia Occidentali antiquitus fuere celebrata. Post martyrium Sancti Fabiani anno uno, mensibus quinque vacavit Romana Sedes. Creato tandem Episcopo Cornelio Novati Chartaginensis Presbyteri factione Novatianus clandestinè ordinatus est Episcopus, & primum in Ecclesia Romana Schisma

ma conflatum, in quod multi, & ipsi etiam egregii Christi Confessores per fraudem inducti. Illos resipiscentes, & ad Ecclesiam redeuntes benignè suscepit Cornelius, atque absolvit, ob quam lenitatem, ne disciplinæ Ecclesiasticæ violatæ reum agas Sanctissimum Pontificem. Stephanus adversus Cyprianum, & Firmilianum Pontificio Decreto de tinctis ab Hæreticis non rebaptizandis parere detrectantes non tulit excomunicationis sententiam. Pauli Samosateni causam peremptorio judicio finivit Dionysius Romanus Pontifex, & ex privilegio Sedis suæ Dionysium Alexandrinum Hæreseos insimulatum judicavit, & pro meritis absolvit.

PAULUS Samosatenus Christum purum hominem asseverans, antiqui erroris assertor, non novi auctor fuit. In priori Concilio Antiocheno sententiam se se correcturũ pollicitus Patres delusit, in altero depositus, cùm necdum cederet, causa ad Dionysium Romanum Pontificem delata, ejus judicio, atque auctoritate, tandem sede pulsus est. In Concilio Antiocheno rejectum quidem à Patribus, *consubstantialis* vocabulum, sed non impugnata fides p stea in Concilio Nicæno definita. In celebri causa Lapsorum pugnantes errores invexerunt Felicissimus, & Novatus, hic lapsos in Ecclesiam admittendos negans, ille eosdem mox sine pœnitentia communioni reddendos esse contendens. Adversus hos errores à Cornelio, & Cypriano pie constitutum, ut lapsis pax quidem daretur, sed nonnisi post decursum pœnitentiæ stadium. Rebaptizantium error ab Agrippino Carthaginensi Episcopo primùm inductus, & ab Afris, & Asiaticis quamplurimis pertinacè propugnatus, tandem profligatus est in Concilio totius Orbis plenario, quod ipsum Nicænum fuisse crediderim. Dionysius Alexandrinus Sabellianorum hæresim vehementiùs impugnans, in oppositum errorem non incidit. INE-

INEUNTE quarto sæculo habita est Illiberitana Synodus, cujus fides integra, pura disciplina. Anno Christi 303. mota est decima persecutio: non habuit in Gallia locum, at cæteras pervasit Orbis Romani Provincias. Ubique quamplurimos absumpsit hujusce persecutionis incendium, vana nihilominus fuere erecta ab Imperatoribus de extincta Christi Religione trophæa. Lapsis annumerandus non videtur Marcellinus Summus Pontifex, sed iisdem meritò accensentur Africani Præsules Donatistarum antesignani, qui anno 305. Cirtense Concilium habuerunt. Anno Christi 311. Maxentius in Africa persecutioni finem imposuit; paulò post in toto Orbe Romano pacem Ecclesiis reddiderunt Constantinus, & Licinius, sed eâ nonnisi post victum à Licinio Maximinum potita est Orientalis Ecclesia.

PERSECUTIONEM in Africa statim excepit Schisma Donatistarum anno Christi 312 Donati Cazensis factione conflatum. Illi in Concilio Romano, cui ut Supremus Judex præerat Melchiades, justè damnati adiere Constantinum, qui de Episcoporum sententiâ pronuntiare non ausus, dedit Arelatense judicium, in quo iterum victi Donatistæ, iterùm ad Imperatorem provocarunt. Ab eo audití, tertiò damnati sunt. At nec dum domita est eorum protervia, nec Schisma compressum, cui extinguendo cùm Orientales Episcopos accersere cogitaret religiosissimus Princeps, dissidus longè gravissimis scissam accepit Orientalem Ecclesiam. Mali auctor Arius Presbyter Alexandrinus Verbi Divinitatem negare ausus. Adversus illam impietatem duplex Alexandriæ habita Synodus: in utraque correptus Arius, ac damnatus error.

CON-

CONSTANTINUS Romæ à Sancto Silvestro baptizatus, ejusdem Summi Pontificis auctoritate adscita, Nicænam Synodum anno Christi 325 celebrandam indixit Huic OEcumenicæ Synodo 318 Patres interfuere, præsedit Osius Romani Pontificis Legatus Princeps; testis, non Judex adfuit Constantinus. In illa proscriptus error, damnatus erroris assertor Arius, vindicata Verbo Divinitas, editumque Fidei Symbolum, cui *consubstantialis* vocabulum prudenter insertum. Compressum etiam est Schisma Meletii, & Quartodecimanorum vetita consuetudo, ac viginti dumtaxat Canones editi. Undè octoginta Canones Arabici, & si qui alii sub nomine Nicænorum circumferuntur, sunt suppotititii.

EUNUCHOS spontaneos à Clericali gradu summovet primus Canon Nicænus, cui occasionem præbuisse videtur Origenis facinus, quod tamen ipsi legitimum non fuerat ordinationis impedimentum. Mulierum, quas subintroductas vocant, contubernium Clericis prohibet Canon tertius, sed iisdem uxorum, quas ante ordinationem duxerant usu non interdicit. In quarto Canone Ordinationis vocabulum electionem sonat, & consecrationem: illa Episcopis Provinciæ sic asseritur, ut vota plebis, & Clericorum suffragia non excludantur: ad istam tres saltem Episcopi requiruntur; sed ab uno dumtaxat, vel duobus celebrata non irritatur. Quintus Canon Provincialibus Conciliis in causis Ecclesiasticis judicandis supremam non tribuit auctoritatem. Sextus, Alexandrinum Episcopum quo ad jura dumtaxat Patriarchica comparat cum Romano Pontifice, cujus Primatui in universa Ecclesia nequicquam detrahit.

NON ita post absolutam Nicænam Synodum, pulsis in exilium Eusebio Nicomediensi, & Theognide Nicæno

no ob communionem cum Arianis, in eorum locum substituuntur Amphion, & Chrestus; sed illi simulata pœnitentia reduces in Fidei defensores statim conspirant, in Athanasium maximè, atque Eustbatium: hic anno circiter 330. malis eorum artibus in Conciliabulo Antiocheno damnatus, ab Imperatore in Thraciam relegatur. Sanctus Athanasius post quinquennium in Tyria Pseudosynodo contra fas omne damnatus, cùm ad illam accessisset, clam posteà se subducit ad Imperatorem confugiens. Tyro, Jerosolymam profecti Eusebiani, suscepto illic in Ecclesiam cum gregalibus suis Ario, ad comitatum Constantinopolim advocantur, ubi nova eorumdem calumnia, Fidei propugnator oppressus, Treviros ablegatur. Paulò post Constantinus Nicomediæ moritur verè Catholicus.

POst Constantini mortem Athanasius ab exilio revocatus suæ Sedi restituitur: Quod egrè ferentes Eusebiani apud Augustos, & Romanũ Pontificem Athanasium rursus accusant. Intereà Antiochiæ Concilium celebratur, quod ne dixeris Hæreticorum Conciliabulum; fuit enim legitima Synodus Catholicorum Antistitum, cujus Fides ortodoxa, disciplina sancta, auctoritas veneranda. Marcellum Ancyranum justè damnavit; sed Athanasium non deposuit, nec Gregorium Cappadocem in ejus Sedem intrusit: indignum illud facinus Eusebianorum conventiculo, non sanctæ Synodo adscribendum. Athanasius Gregorii adventum præsentiens Romã pergit, ibique anno uno, mensibus sex frustrà expectatis Eusebianis, à Julio Summo Pontifice in Synodo Romana quinquaginta Episcoporum jure, & canonicè absolvitur.

CUm Romani Pontificis judicio non acquiescerent Orientis Episcopi in Athanasii, Fideiq; præsidium Sardicen-

dicense Concilium convocarunt Constantius, & Constans. Sardica Philippopolim secessere 80 circiter Orientales Episcopi, Concilium illud nihilominùs fuit & convocatione, & exitu generale. Episcoporum, qui eidem interfuerunt numerus incertus, iis præfuit Osius nomine Romani Pontificis. In illa Synodo victrix emicuit Athanasii Fides, innocens declaratus est Marcellus Ancyranus, & uterque suæ Sedi redditus. Nulla in Concilio Sardicensi edita est Fidei formula, sed unus & viginti conditi sunt Canones: tertius, quartus, & septimus Episcoporum dejectorum appellationes asserunt Romano Pontifici. quo nullum Apostolicæ Sedi Jus novum quæsitum putes, cùm eximium illud privilegium unà cum ipsa connatum sit, & Pontificii Primatus appendix.

POST Sardicensem Synodum Constante minis, & precibus apud fratrem Constantium agente Sedem recepit Athanasius. Post Constantis mortem Constantius devicto Magnentio Episcopis Arianis stipatus Sancti Athanasii damnationem in votis habens modo Arelate, modo Mediolani, demum Biterris, variis in Synodis plures ad illum damnandum adigit Episcopos, reluctantes mulctat exilio, ac præter cæteros Liberium Romanum Pontificem Beroeam relegat. Inde ad magnum Osium conversus ipsum sæpe, ac frustra tentatum tandem minis, ac verberibus compulit ad subscribendum Arianæ impietati. Liberius exilii tædio victus bis peccavit, primùm Beroeæ, deinde Sirmii, utrobique ab Hæresi vindicari debet. Felix in Liberii locum primùm intrusus, post ejusdem lapsum verus, & legitimus Pontifex fuit.

LAPSUS sui fœditatem egregiè reparavit Liberius cum Athanasio rursus communicans, & Nicænæ Fidei nobilis

bilis assertor factus, Ariminensis Concilii formulæ consensum præbere recusavit. In hac Synodo quamdiù libera fuere Patrum suffragia Nicæno Symbolo firmiter adhæsere. Postcà tamen Arianorum cunctationibus fatigati, dolisque delusi fallaci formulæ consenserunt, non ideo tamen universam Ecclesiam erraffe dicendum est, nec a Fide eos omnes, qui subscripserunt desecisse. Orta Macedonianorum hæresi tres Constantinopoli Synodos Theodosius convocavit Primæ Meletius præfuit, secundæ Timotheus, Nectarius tertiæ. Prima deposito Maximo Cynico Sedem Constantinopolitanam Gregorio confirmavit Secunda 150. Episcoporum Damasi S P.& totius Occidentalis Ecclesiæ consensu evasit OEcumenica: Macedonii confixit hæresim, & Spiritui Sancto Divinitatem vindicavit, damnavitque Eunomii, Photini, & Apollinaris blasphemias adversus Christum, *qui est desideratus cunctis gentibus*.

Has Theses, Deo Duce, & auspice Deipara, tueri conabitur Raphael Cosmus de Hieronymis Canonicus Florentinus diebus 19 & 20 mensis Junii Anno 1695. ab horâ vigesima ad vesperam in Ecclesia Metropolitana.

PRO ACTU PUBLICO.